



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimæ Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726**

**VD18 80217915**

Artic. III. Deus efficiens Virginem centrum donorum suorum, fecit illam  
quoque nostræ felicitatis fontem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45581**

tus inſeã memoria portas ingre-  
ris. O beatos & centies beatos  
illos, qui ſingulari in Virginem

Sanctiſſimam feruntur devotione.  
Ecce tibi hujus rationem.

\*\*\*

## ARGUMENTUM.

*DEUS efficiens Virginem centrum donorum ſuo-  
rum fecit illam quoque noſtra felicitatis fontem.*

### ARTICULUS III.

**O**Mnia facit & poteſt bonitas, unico excepto, & eſt, quod manere non poſſit ſecum, volo dicere, quod continere ſe non poſſit, quin ſe communi- cetur; & quanto major eſt bonitas, minus cohibere poteſt munificentias & liberalitates ſuas; neceſſariò effundere ſe debet, ſeque communicare, quaſi ſuſſistere non poſſet, niſi ſua alijs ſubveniret abundantia. Aspice bonitatem infinitam, qua eſt in Deo Patre, velut in ſua origine; hæc nec unico eſſe poteſt momento, quin ſe totam integram effundat in Filium; ipſa nunquam inceperit, & nunquam etiam finiet divinam hanc munificentiam: Quandoquidem autem ipſa eſt eadem in Filio, qua in Patre, & eandem habet inclinationem, eundemque ſe effundendi neceſſitatem, hinc iterum ſe communicat totam integram Spiritui Sancto; cum quoque tota integra ſit in Spiritu Sancto, adhuc & ulterius ſe communicare deſiderat; ſed quia divina alicui perſonæ ſe amplius communicare non poteſt,

R. P. Iſaac Conſulſat. Tom. III.

effundit ſe in perſonam, qua ad divinas accedit propius; & eſt Virgo Sanctiſſima, quam replet omni gratiarum ſuarum abundantia, ipſamque virtute ſua infinita tam reddit fecundam, ut ipſa producat perſonam quandam divinam in natura humana: tandem eadem bonitas in Sanctiſſimã Virgine recepta, fecundus evadit fons infinitorum bonorum, qua in totam effunduntur Eccleſiam.

Jucundiſſimus aſpectu erat fons, quem à mundi creatione poſuit Deus in medio Paradifi terreſtris. Uſitatum eſt aquis diffluere in imum, ſequendo molem ponderis ſui naturalis; ſed aqua hujus fontis aſcendebant in altum, juxta atteſtationem ſacri textus: *Fons aſcendebat de terra*; cumque abundanter & magno cum impetu ac ardore è ſuo egrederetur ſinu, diviſit ſe non in quatuor parvos rivus, ſed in quatuor magna flumina, qua cum diverſos artiperent curſus, irrigabant non ſolum regiones vicinas, ſed omnem omninò terram: *Irrigabat omnem faciem terra;*

N n n cum

Bonitas neceſſariò ſe communicat, facitque id modo admirabili.

S. Boni-  
vcal.

Gen. 2. v. 6.

Fons paradifi terreſtris diviſus in quatuor flumina.

S. Hierony-  
mus in  
hunc loc.

cūq; ferret secum suavem quem-  
dam algorem, conferebat ipsi fec-  
cunditatem ad progignendam hanc  
herbarum fructuum multitudinem,  
quibus cuncta pascit & nutrit ani-  
malia. Sanctus Hieronymus affir-  
mat, hunc paradysum repræsentare  
Ecclesiam Christianam, & San-  
ctissimam Virginem esse fontem,  
quem collocaverit Deus in illius  
medio velut scaturiginem, unde  
deducat magna quatuor gratiarum  
flumina, quibus irriget totum Ec-  
clesiæ paradysum. Nomina qua-  
tuor horum fluminum annotantur  
in Sacra Scripturâ, nobisque opti-  
mè designant quatuor præcipuas  
gratias, quæ dimanant è sinu Vir-  
gineo admirabilis Matris, ut se dif-  
fundant in totum hunc mundum  
inferiorem.

Flumen primum nuncupatur  
*Phison*, id est, *auri ferax*, produ-  
cens aurum. Sed quid intelligi-  
tur per verum aurum, quod ita  
commendatur à Sacra Scripturâ,  
nobis suadente, ut illud amarus,  
quancunq; nobis steterit, ut de-  
mus omnia, quæ habemus vel ha-  
bere possumus ad comparandum  
nobis hoc aurum? quid inquam  
per hoc intelligitur, nisi Sacer a-  
mor, charitas sancta, gratia sancti-  
ficans, quæ idem omninò sunt?  
Sed sapiens nobis dicit: si dederit  
homo omnem substantiam suam  
pro dilectione, quali nihil despi-  
ciet eam: hoc est, quòd si dederi-  
mus omnia mundi bona, absque

ullâ Exceptione, pro illâ, nihil ta-  
men foret, quòd esse posset præ-  
tium possessionis s minimæ hujus au-  
ri. Nihilòminus vel illud com-  
parandum est nobis, vel in æter-  
num pereundum. In quàm misero-  
rabili statu foret mundus, si non  
irrigeretur aquis fluminis Phison,  
quæ omnes sunt ex puro hoc auro;  
vide, quòmodo diffundat illas in  
universum orbem, illasque grati-  
tò offerat hauriendas mortalibus  
universis. O divitias inestimabi-  
les hujus fluminis! sine quo totus  
mundus infelix foret, & cum quo  
omnes, qui haurire ex illo nove-  
rant, beatos se reddunt ac felices.  
O amplitudinem & longitudinem  
prodigiosam hujus fluminis! qui  
se dividit in tot brachia, totque ca-  
nales diversos, quot habemus Sa-  
cramenta, quòtque sanctarum vir-  
tutum exercitia in Religione Chri-  
stianâ, per quæ omnia haurire pos-  
sumus gratiam Sanctificantem om-  
ni tempore, & omni loco, quan-  
do navamus illis operam cum fide-  
litate & bonâ dispositione.

Sed quinam est fons, qui dedu-  
cit hoc flumen è sinu suo, ut illud  
det nobis, nosque ipsius locuple-  
tet aquis? probè novimus, hunc  
esse JESUM CHRISTUM, qui prin-  
cipium est omnium gratiarum san-  
ctificantium, & salutem non esse,  
nisi in illo & per illum: *Et non est  
in aliquo alio salus; sed hic JESUS  
Christus, qui est Deus & Homo,  
non est à seipso; si aspicias ipsum*

Primum  
flumen est  
Phison, et  
quod hauri-  
mus gratiam  
sanctificantem  
A. G. 4. 11.

ne Deum, est à divino Patre suo, ab illo solo totam recipit divinitatem, & sine ipso esset nihil; si aspectus ipsum ut Hominem est à Sanctissima Matre sua, ab ipsâ solâ totam adorandam suam accipit Humanitatem, & absque illâ non esset Homo. Jam ipse est uterque. Non sufficeret, si esset solummodò Deus, nec etiam, si esset duntaxat Homo, ad hoc, ut extaret fluvius Phison, qui continet aquas pretiosiores auro potabili, id est, magnam gratiarum sanctificationum abundantiam: oportet ipsum esse Deum & Hominem simul: Non igitur Pater solus esse potest fons & origo pretiosi huius fluvij, nec sola Mater, quæ producat ipsum nobis è sinu suo, requiritur concursus utriusque oportet utrumque exhaurire se, suam dando substantiam, ad producendum nobis magnum hunc Fluvium. Pater producit ipsum quidem potentiùs, eòquòd exhauriat in hoc Omnipotentiam suam infinitam, faciatque etiam descendere ipsum ex altissimis, sumjam existat ab instanti æternitatis. Sed Mater producit ipsum sensibilis, & modò magis proportionato nostræ infirmitati, eòquòd reddat ipsum totum similem nobis; & ambo non constituunt nisi velut unum eundemque fontem, unde magnus hic fluvius suam desumat originem: *Fons ascendebat de terrâ, & irrigabat universam faciem terræ.* O Pater ado-

rande! quantum obstringimur tibi? O Mater admirabilis, quantum tibi quoque debemus? Pondera id parùm cum maturitate inter Deum & te, & invenies in eo veritatem tam suavem, tamque amabilem, ut totam occupat animam se considerantem.

Secundus fluvius appellabatur *Secundus Gehon*, id est, *exitus pectoris*, vel effusio cordis: An melius exprimi possit gratia divinæ Maternitatis? Postquam Filius Unigenitus exivit è pectore divini Patris sui, ingre-

*Secundus fluvius vocatus Gehon, est gratia divinitatis.*

sus est uterum Virgineum Sanctissimæ Matris suæ, ut egrederetur ex eo similis nobis, ut se nobis donaret, aperiret nobis cor suum, & haurire nos faceret ex hoc fonte vitæ divinæ omnes pretiosos thesauros æternitatis. Aspice magnum hunc fluvium gratiarum, qui primam suam habet originem in sinu divini Patris sui, & secundam suam scaturiginem in sinu Sanctissimæ Matris suæ, qui exinde se extendit super omnem faciem terræ, potissimum super totam Ecclesiam Christianam, quæ rectè nominari potest facies, eòquòd mundi existat pulchritudo; *Irigabat omnem faciem terræ*: offert id aquas suas omnibus, clamans peramanter: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Quicumque accenditur magna siti alicujus boni, quo satari & repleri possit. Veniat & bibat, quantum voluerit è magno hoc fluvio, inveniet ubique offerentem ipsum

sibi eandem aquam vitæ, quæ vivere facit in æternum Beatos in cælo.

Omnes  
Christiani  
bibunt e  
fluvio Ge-  
hon, quan-  
do acce-  
dunt sa-  
cram  
commu-  
nicem.

Quid aliud faciunt omnes Christiani, quando turmatim accedunt ad Sacram Communionem, nisi quod bibant ex hoc fluvio *Gehon*, ad extinguendum sitim suam in effusione cordis divini Patris, & divinæ Matris, nempe in CHRISTO JESU: Hic inveniunt, unde repleant omnia desideria sua in possessione ipsius Dei, qui in æternum replet illa Beatorum, id est, hic inveniunt & hauriunt consolationes solidas, quæ sunt universale remedium omnium miseriarum humanarum; hic locupletant se gratiâ & sanctitate, hauriendo illam ex ipso fonte, illaque replendo se juxta vasis, quod apportant, magnitudinem. Et nunquam magnus hic fluvius exaruit, & exarefecit nunquam usque ad finem mundi, nulli unquam suas negat aut negavit aquas; Bibit unus, bibunt mille, sicut paucolis mutatis canit Ecclesia in quodam Rhythmo de Venerabili Sacramento; quantum isti, tantum ille; id est, unicus solus, non minus habet, quàm mille, & mille non plus habent, quàm unicus solus; portentum est, videre unicam animam solam tantæ esse capacitatis, ut bibendo sit totum ac integrum fluvium, eòquod recipiat totum JESUM Christum; & millenas animas majoris quoque amplitudinis non esse, quàm opus

sit ad bibendum eundem totum & integrum fluvium, & postquam omnes integrum ac totum absorpserunt & deglutierunt ipsum, manere semper integrum, & irrigare semper aquis suis totam faciem terræ.

O Flumen aquæ vivæ! ô vive fons omnis felicitatis, temporalis & æternæ! Ex quo fonte dimanans, ad refrigerandum nos ita dulcore aquarum tuarum, ad restinguendum sitim nostram, nosque satiandum plenè ipsarum abundantia, sicut & plenè locupletandum nos possessione actuali & substantiali Dei ipsius? Quodnam tibi magno Flumini est Nomen? *Gehon* est, *exitus pectoris*, & stupenda effusio cordis. Sed unde exis? quæ tua est origo? è quo pectore egredieris, ut ita effundas te super nos? duæ mihi sunt origines, diceret tibi, è quibus dimano, & sine quibus non essem; Una est sinus æternus divini Patris mei, altera est sinus Virgineus MARIÆ divinæ Matris meæ. Si agnoscis, summam esse felicitatem tuam, quod me possideas, infinitas exsolve grates utrique huic fonti ac origini. Satis potatum est pro hac vice ex secundo hoc flumine.

Nomen tertij fluminis erat *Tygris*, quod significat *sigillatam volantem, vel telum pennatum*. Et hoc optimè declarat & exprimit gratias actuales, sanctas inspirationes Dei, gratias prævenientes & exci-

Tertium  
flumen est  
Tygris, &  
genuerat  
gratias  
actuales.

excitantes, quæ incessanter volant per totum orbem, velut sagittæ aut tela amoris, quæ tangunt, feriunt, & transfigunt corda, ut mori hæc faciant vitæ peccaminosæ, illaque convertant ad pœnitentiam: Hoc flumen gratiæ admirabile est, nobisque tam necessarium, ut sine ipso alia flumina nobis forent inutilia. Siquidem quâ ratione haurire possemus ex primo, quod Sacramenta sunt & exercitia virtutum; vel ex secundo, quod est JESUS Christus ipse, nisi excitaremur ad hoc per gratiam actualem? Oportet sagittam pulsare primum Cor, ad excitandum illud è sopore suo; oportet gratiam prævenientem & excitantem peramanter sollicitare animam, ut alliciat ipsam ad Deum, aliàs nunquam iret ad ipsum: Eheu! quoties hæc admonetur, & obedire renuit? Quoties prævenitur, & ipsa deses sequi negligit illicia & attractus Dei? Quoties pretiosæ aquarum hujus Fluvij Tygridis guttæ dilabuntur in terras steriles & ingratas, nec producant fructum aliquem? Et nihilominus magnus hic Fluvius non intermittit suas semper derivare aquas tam abundanter, ut nunquam exarescat: *Fons ascendebat de terrâ, & irrigabat omnem faciem terræ.* O Bonitas Dei ineffabilis! ô misericordia infinita, quæ nunquam aspernaris nostram ingratitude!

Inquire modò fontem, unde

tertium hoc flumen suam desumit originem, & invenies esse eandem, quæ duorum fuit aliorum. Verum quidem est, originaliter dimanare ex infinitâ bonitate Dei, quòd omnes gratiæ actuales conferantur nobis, sed sæpè fit per ministerium Angelorum has applicari nobis, & semper fit per intercessionem Sanctissimæ Virginis, has utiliter nobis impendi, abundanter nobis distribui. Admiror & revereor doctrinam Sancti Bernardini Senensis, devotissimi Sanctissimæ Virginis servi & clientis; quando is loquitur de potestate, quam possidet Sanctissima Virgo in gratias, quas recipimus, affirmat, quòd ex eò, quo portavit Verbum æternum in purissimo utero suo, ipsa certam quamdam habeat jurisdictionem in temporalem processione Spiritûs Sancti, id est, in visitationes, quas impendit animabus per gratias suas actuales, eò quòd procedat æternaliter à Filio, cujus ipsa est Mater; & desuper citat Sanctum Bernardum expressè dicentem: *Nulla gratia venit de cœlo in terram, nisi transeat per manus MARIÆ*: insuper & alium adducit testem auctoritatis maxime; & est Sanctus Hieronymus, qui dicit, quòd plenitudo gratiarum sit in JESU Christo, velut in capite, unde effluant & deriventur in nos; sic etiam in Sanctissimâ Virgine velut in collo, per quod transeant omnes, ut se dis-

§. Bernardinus serm. 1.  
c. 8. sanctissima Virgo est fons, unde dimanant in nos omnes gratiæ actuales. §. Hieronymus serm. de Assumpt.

Genet. 7.

fundant è capite in omnes partes Corporis mystici JESU Christi, juxta hunc textum Sacri Epithalamij: *Collum tuum sicut turris eburnea*. Unde venit, dicit ipse, quòd ordo influxûs divinarum gratiarum sit talis, quòd imprimis ipsæ omnes effundantur è sinu Dei in benedictam animam JESU Christi. Et exin diffundantur omnes in Sanctissimam animam Virgineæ ipsius Matris; & posthæc per ipsius ministerium toti distribuuntur Ecclesiæ.

Ex hoc sequentem deducit discursum non minùs pium, quàm doctum & solidum. Cum verum sit, inquit, quòd tota natura divina, totum esse Dei, ipsius potentia, ipsius sapientia, & ipsius voluntas inclusa fuerint in purissimo utero MARIE, dicere non vereor, ipsi certam quandam esse jurisdictionem in influxum omnium divinarum inspirationum, ipsamque esse velut Oceanum divinitatis, unde exeant omnes rivuli, & omnia flumina gratiarum, quarum portabat fontem in castissimo gremio suo. Et sanè jus quoddam naturale hoc est, quòd Materna sua dignitas promeruit ipsi, quòd que refunditur in gloriam Filij ipsius Unigeniti, qui Rex Regum est, & Dominus dominantium.

Invenio, prosequitur, in Rege nostro JESU Christo stupendas duas dignitates. 1. Ipse est Deus genitus à Deo Patre suo in æterni-

tate. 2. Ipse producit Spiritum Sanctum cum Patre in æternitates, & transit in uterum Matris suæ, abs eo, quòd quidquam suarum perdat Excellentiarum. Ipse igitur hic (id est, in utero Matris suæ) genitus est à Patre suo, velut in æternitate; Ipse hic etiam producit Spiritum Sanctum cum Patre suo velut in æternitate. Ex hoc principio certissimo stupendam hanc trahit consequentiam: *Idè omnia dona, virtutes & gratia ipsius Spiritus Sancti, quibus vult, quando vult, quomodo vult, & quantum vult, per manus ipsius* (nempe Sanctissimæ Virginis) *administrantur*. Ecce igitur admirabilem fontem, qui nobis è sinu suo deducit Fluvium Tygrim tantâ cum abundantia, ut irriget totam faciem terræ: Laya te, immitte te, submerge te in tercio hoc flumine; Interim dicendum est tibi adhuc aliquid de quarto.

Hoc flumen appellabatur *Euphrates*, id est, *fructuosus*, vel abundans fructibus, & hoc locupletatum est omni abundantia fructuum tum temporis, tum æternitatis; huic flumini annexa & alligata sunt merita omnium bonorum operum, veluti sunt labores Apostolorum, tormenta Martyrum, orationes contemplantium, rigores & austeritates Confessorum, eleemosynæ divitum, patientia pauperum, & denique omnes fructus virtutum, quæ exercentur in totâ

Potentia admirabilis Sanctissimæ Virginis super omnia dona Spiritus Sancti.

Genet.

totâ Ecclesiâ. Quando Abraham & Loth nepos ipsius, diviserunt se ab invicem, Patruus ex bonitate suâ electionem reliquit nepoti suo. Hic longè latè que suos emittens oculos versùs regionem Jordanis, invenit ipsam adeò jucundam, ut summè placuerit ipsi videns irrigari illam copiosis aquis, quibus reddebatur fertilis & amœna velut alter paradysus terrestris: *Elevatis oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, sicut paradysus Domini.* Attolle oculos tuos, illòsque emitte in omnem Sanctæ Ecclesiæ regionem, videbis illam ubivis irrigatam abundantibus gratiarum aquis, quibus sæcunda reddatur fructibus æternitatis; de quâ rectè diceret: Ecce tibi hortum Domini; Ecce tibi paradysum mundi. Sed alius tua leva oculos, illòsque in cœlestem attolle Paradysum, videbis illic innumeram multitudinem eorum, qui coluerunt honeste fructus terræ, cumque illos tan-

dem messuerint, fruuntur jam æternâ illorum possessione in vitâ beatâ, ubi tot refulgent coronis, quot abundaverint hic operibus bonis. Hem! unde enascuntur omnes hi fructus? Euphrates produxit illos omnes. O flumen abundans! ô flumen jucundam, quod recolligere nos facis fructus omnium aliorum fluminum! E quo exoreris fonte, quòd tantis nos locupletes divitijs? diceret tibi: alius mihi non est fons, nisi ille aliorum trium fluminum; nescimus omnes ex fonte eodem Virginis uteri Sanctissimæ Matris Dei. Fons ascendebat de terrâ, & inde dividitur in quatuor capita. Ecce quomodo omnia habeamus in illâ & per illam. Non immeritò ergò dixi vobis ab initio, quòd Deus, cum fecerit illam centrum omnium beneficiorum suorum, illam etiam fecerit fontem omnis felicitatis nostræ: Quæ senta, quos affectus inde debeamus elicere, videamus.

## ARGUMENTUM.

*Deus volens Sanctissimam Virginem esse centrum suorum beneficiorum, & nostræ fontem felicitatis, vult quoque ipsam esse nostrum refugium, & singularem nostram spem ac fiduciam.*

### ARTICULUS IV.

**C**um nunquam desideria nostra magis sint conformia sequitati, quàm quando conformia sunt consilijs Dei, non timeamus, dilapsuros nos in excessum, vel amando Sanctissimam Vir-